

Viro clarissimo & do:
ctissimo

D N. M. Z A.
CHARIAE SOMMERO,
FRIDEBERGENSI, SILESIO,
FACULTATIS PHILOSOPHICAE IN
Academia Vvitebergensi Adjuncto me-
ritissimo, nunc Scholæ Cassovi-
ensis designato Rectori;

*Inclytâ Vvitebergâ discedenti Bene
precantur & Vale dicunt
AMICI.*



VVITEBERGAE
Typis Simonis Gronenbergii,
CIC. IC. CI.

Biogr. erud.

D. 1673, 24

Yitt Einleitung - Vol. 6 - Stam

AD DOCTISSIMUM VIRVM

M. ZACHARIAM SOMMERUM.

QUOD nec opinari poteram, SOMMER, futurum ;
Pergis desertam rursus in Hungariam.

Quis neget occulti quin hæc sint momina Fati ?
Quis pietas contra tendere nulla potest:

Nec tua vult, credo. Sapor est dulcedinis altræ

[Quis nescit?] patrio regna tenere foco:

Sed major, parere Deo. vel ad extrema terræ,

Quæ Garamantes habent, iusserit ; ire decet.

I, Sophiæ suadela, novum decus addere Musis ;

Et quæ Castalides, reddere CASSOVIDES.

FRIDERICUS TAUBMANNUS, FRANC.

Poëta & Professor pub.

NOstri, ZACHARIA, medulla cordis,
O & Pieriæ decus palaestra.

Nostros cum comites tibi Phaleucos

Modò de meliore postulares

Nota, de potiore flagitares

Jure amicitiae ; mihi hæc susurrans

In aurem retulit Thaleia : amicam

In aurem tibi quod vicissim amicus

Amicè refero : Sit hæc secundis

Profecta ominibus profectio ! nec

Fortes alipedes premam, nec ipsa

Molli invec̄ta petorito volabo,

Per & Pannonios volabo tractus,

Per & horriferos volabo montes:

O SOMMERE, sinum, sinum euge amicum,

Sinum pande tuum, sed integelli

Sinum pectoris, obsecro, reclude:

Hoc invec̄ta petorito volabo,

Per & Pannonios volabo tractus,

Per & horriferos volabo montes :

Molli, Juppiter, atque delicato

Sic invec̄ta petorito volabo.

M. Martinus Hilwigius, Boleslav. Sil.

T Antáne Hungaricum te, quamvis horreat armis,
 Ducit, Amice, solum dulcedine, ut inclyta nostræ
 Teutoniæ, nobis nuper vix redditus, arva
 Linquere, & Hungariam cupias invisere rursum,
 Hungariam infestam bellis, & acinace Turco?
 An nescis, certam charos cepisse parentes
 Spem, quondam annosæ te pondera dura senectæ
 Ritè levaturum, & tandem morientibus ægra
 Lumina clausurum? ànne audes spem fallere tantam?
 Nónne vides, lectos, pendere docentis ab ore
 Qui soliti, juvenes tristi indulgere dolori,
 Et mœsto vultu tacitè unum orare, Lyceum
 Ne linquas nostrum; verùm ad viridaria magni
 Vt Stagiritæ monstres iter acer, ut olim
 Carpere ab auriferis pendentia germina ramis,
 Quæ nullas nullo uret Carbonarius igne,
 Possint? An surdas præbere precantibus aures,
 Et pro parte tua docti rem nolle Lycei
 Augere, est æquum, moris his moribus, atque
 Præcipuè hoc seculo, quo cuncta abolere verendæ
 Iura vetustatis laus est non ultima, (vulgo
 Iudice) tetrisque erratis errata novare,
 Et verum ridere, decus famamque meretur?
 Nam quantum est hominum, qui se omnia scire professi
 Nil norunt recti, ac buccas inflare tumentes
 Edocti, sibi sunt actôrque, & scena, theatrumque,
 Et plausus; prompti lingua, sed cætera inepti:
 Hi cùm se in triviis jactent cœnare palumbes,
 Ipsamque Ambrosiam, & divini Nectaris haustus
 Sumere, calloso, (compesce, ô Crasse, cachinnos)
 Ore vorant Ramni spinas, saturantur amaris
 Arboris exsuccæ foliis, & gutture aceti

A 2 Potant

Potant vappam avido. Hinc latices epulæq; Deorum
 Picâ ægro stomacho cieunt fastidia. Virtus
 Sic horret cerebri Thasium imbecilla liquorem :
 Sic claram Phœbi lucem, radiósque diei
 Lucentes fugit, & seros dat noctua cantus.
 Ah satius fuerat, divina arcana Lycei
 Rimari, & mentem Vero satiare, nec hilum
 Curare, oggannit si gens docta absque cerebro,
 Quod secretarum divina scientia rerum,
 Non zythum coquere, aut monstrat corradere nummos.
 Sufficit ipsa sibi Sapientia. Inutile non est,
 Quod verum. Cæcas expellit iuente tenebras,
 Divinis lucens radiis sapientia, & altum
 Conscendit voluceri cœlum penna; altior omni
 Invidia, fortis victrix, Reginaque mundi est.
 Sed quò sanctus Amor veri, spretiq; Lycei
 Me dolor acer agit? quid ego tua cœpta retardo
 Talibus,attenta quæ dudum volvere mente
 Te credo? aut obstant, quorum vestigia pleno
 Sectari gressu, pietas est maxima, Fata.
 Namque hoc non nostris votis & nixibus ævum
 Degimus; Arbitrio sed vivimus, atque movemur,
 Mutamurque Dei, qui magno Numine, & æquis
 Res rerumque vices nostrarum flectit habenis.
 I ergo, quò fata vocant. Te Pannonis ora
 Auctore & fido duce discat Verum, & Honestum.
 Hoc etenim sapere est. Hinc te tua gloria tollet
 Sublimem: hinc merita referes præconia laudis.
 Interea, nostriq; , & , quæ nos nexibus arctis
 Iunxit, Amicitia cultæ sine labe tot annos
 Vive memor. Fido jungamur pectore, quamvis
 Corpore disjuncti longè. His licet ire. Valeto.

M. Daniel Sennert, Vratisl.

Convictu longo, tum consuetudine longa,
Iuncte mihi, hinc raperis, sic statuente **D E O**.
Ergo sequi Iovam pergas, atque omine dextro
Hungaricam terram, Cassoviãque petas.
Sed tamen, hinc quamvis abeas, memor esse memento
Usque mei; Vivam nam memor usque tui.

Johannes Schrammius,
Vratislaviensis, L. L. Stu-
diosus,

Si nos, resque regit Fatum immutabile nostras;
Te quoque fata regunt, resque, **S O M E R E**, tuas.
Nam vix Pannoniis nuper revocatus ab oris,
Pannoniæ fatagis rursus adire loca.
Ergone te fato rediisse negabimus? absit:
Neu regredi fato credimus? absit & hoc.
Næ tu te nobis, vel idem te Leucori Fatum
Invidet; utrum me fallat, amice, tenes.
At nec credo tamen, nostri, te, chare, Patrisque
Immemorem, patriam relinquere Silesiam.
Atque adeò nulla noti formidine belli,
Ad Geticas propius jam remeare manus.
Non ea; sed nulli Fatum superabile, causa
Vnica divino Numine nixa subest.
Quo nam cunque vocat, gaudes parere vocanti,
Nec quicquam obniti, dulcis amice, Deo.
Scilicet; Ecquis enim **D O M I N O** obluetarier ausit,
Qui nisi nos placitis mancipat ipse locis.
Quin ergo hanc Fato, non nescius accipe sortem,
Dum stabili, navi, sede locere, tua.
Si te fata volent nobis aliquando reductum,
Gestiet & reditu Teutonis ora tuo.

A 3

Interea

Interea absentis tua terris serviat illis,
Forſitan hinc patriæ nota futura fides.

M. Matthias Kheil, Francoſt. Sil. F.

GYMNASIUM TurcæVngariam antè tyrannidis unum
Et unicum fui ratus :

Nec poſſe humanis ſimul artibus, imbelliq̃
Vacare Muſarum choro:

Quippe decennales infesti militis ultra
Iam vaſtitates ſuſtinens.

At nunc experior contrà! SOMMERE, Sophorum
Non ultime, Albis quos alit,

Pierii tu Gymnaſii Caſſovia RECTOR
Vocaris intra mœnia:

In CHRISTI ſacris, ſolenni more, juventam
Exerciturus myſticis,

Philophâque itidem palæſtrâ, haſtile Satânæ
Quæ per duellis frangere,

Barbaricq̃ valent feritatem evincere diram.
Benè te, benè illam dicimus!

Tu boni ſuppelitas adſiſctis arma: trucèſque
Sic illa Turcos edomat.

*Sophonias Haſenmullerus, Francus,
Poëta Laureat. Cæſ.*

HVnc plerunque crepat vulgus mutabile verſum,
Si fugis ex oculis, effugis ex animo.

Non ego ſic, aliam longè ſed ſpondeo mentem;
Si fugis ex oculis, mente repoſtus eris.

Ecquid enim fieri potuit mihi dulcius, unâ
Quàm nos conjunctos ſede habitâſſe ſimul?

Ecquid

Ecquid adhuc fieri potuit mihi dulcius, uti
Quam posse alloquio, colloquioque tuo?
At me infelicem! Sine te mihi vivere durum
Iam fuerit, quia te nunc rapit una dies.
Te rapit una dies, quem vix mihi cernere posthaec
Sors dabit. (heu tristis conspicienda dies!)
Certè si qua fides nostris latet abdita dictis,
Me vellem socium jungier usque tibi.
Sed quia fata negant unâ nos degere terrâ,
Cassoviam pete: me Leucoris alma fovet.
Ergo lubens, quò fata trahunt, retrahuntque, sequaris,
Dira pericla licèt sint subeunda tibi.
Non metue Hungaricas, fera per discrimina, ad oras
Pergere; Namque Deo hæc cuncta ferente cadunt,
Nempe is Pannoniis restitutum te cupit oris,
Illas quò ingenii dexteritate juves.
Ergo iter incipias felici sydere, Christo,
Ingredere Hungaricos, te comitante, lares,
Accipe sincero mea pectore vota profecta;
Sis memor usque mei, ceu memor ipse tui.

Testande gratitudinis & observantia ergò fecit
Michael Döring, Vratisl. Silesius.

Siccine jam certum est tibi deseruisse Lyceum,
Inclita præclarum quod VViteberga fovet?
Quæ tibi donarunt titulum noménque MAGISTRI,
Leucoreas Musas sicné valere jubes?
Siccine præ reliquis placuit tibi Pannonis ora,
Illâne Teutonicis anteferenda locis?

Siccine

Sicne ego divellar, sic te, vir doctus, relinquam?
 O decus! o anime portio magna mea!
 Non remorantur iter brumalia frigora, venti?
 Non intemperies aeris ulla tenet?
 Non tibi terrori est latro, nec Turcicus hostis?
 Dum procul ignotas tendis inire vias?
 Non te doctorum consortia grata virorum
 Flectunt? nec retrahit vix renovatus amor?
 Heu! discessurum insignem virtute, dolendum est,
 Qui poterat multis consuluisse, virum!
 Veri PHILOSOPHI (rumpantur ut ilia Momo)
 Quiq; viri docti nomina jure tenet:
 Hic modo discedit meliori sorte potitus,
 SOMMERI verè nomen & omen habens.
 Sed cum fata velint VVITTEBERGAM linquere, & ALBIM,
 Parendum est fatis, fata sequenda tibi.
 Forsan & hoc suadent castissima Numina MUSAE,
 Suadet & Aoniae praeses APOLLO lyrae.
 Macle animis igitur, vir praecclarissime, n. siri
 Sis memor, atque tui me meminisse juvet.
 Vade bonis a vibus, fidus tibi Christus Iesus
 Sit tam longinquae duxq; comesq; viae.
 Det DEUS inceptum feliciter exeat, inq;
 Conditione nova prospera multa. Vale.

Honoris & amoris ergo offero
 Andreas Hildebrandus,
 Sedin. Pom.